





1745/1

12

1792

11.

DISCEPTATIONES IVRIS

Q V A S

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII SVMMI
PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLIE-
SIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XII. MARTII A. S. R. CIOCCCLXXXII.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS

DEFENSIVS EST

AVGVST. CHRISTIAN. GEORGIVS MVFF

WILLERSTADIENSIS.

SPECIMEN II.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

DISCRIPTIONES IVRIS

QVAE

PRÆSIBIT

D. GEORGIO STEPHANO
WISSANDIO

SECRETARIO PRINCIPIS ELECTORIS PALATINI & MOENABII
PROVINCATIONIS REPTIVÆ DEPTI TROSTORUM PALLIO
PACIFICITATE NITUM AN ORDINARIO CONSISTORII ECCLESIE
SACRÆ DIRECTIONE CURIE TROMBELLIS
ET SCABINATUS ASSessoris

Dis. XI. Martii A. S. R. cl. 1744

AD ADVERSARIORVM ARGUMENTIS

AVGVST. CHRISTIAN. GEORGIVS MATE

OPUSCULUM II

WITTEBERG



I.

*Emtio venditio, quae laesionem ultra dimidium continet,
ideo, quod ex necessitate fuerit facta, haud erit
rescindenda.*

Diocletianus et Maximianus in *l. 2. C. de rescindend. vendit.* eam emtionem, qua venditor ne dimidiam quidem partem veri pretii accepit, vel emtor pretium duplo maius dedit, tamquam inhumanam rescindi posse, statuunt. Sed secundum ius naturale illud pretium, in quod contrahentes consentiunt, est iustum, modo dolus non subsit. Ita quoque philosophati fuere Iureconsulti veteres, ex quibus hic testimonium denunciamus Paulo, qui in *l. 22. §. 3. D. locat. conduct.* ita statuit: *quemadmodum in emendo et vendendo naturaliter concessum est, quod pluri sit, minoris emere: quod minoris sit, pluri vendere: et ita inuicem se circumscribere; ita in locationibus quoque et conductionibus iuris est.* Si quis rem, quam scit maioris esse, minoris venderit, de iniuria sibi facta conueniri haud potest. Quisque

A 2

rerum



rerum suarum habet plenum arbitrium. Si domino res proprias ex mera liberalitate in alios conferre licet, nulla apparet ratio idonea, cur non minus pretium accipere queat. Adde *l. 38. D. de contrah. emt.* Nec est, ut emtori, qui pretium nimis magnum soluit, succuramus. Suo enim arbitrio in emtione perficienda usus fuit, nec quis fraudare videtur eos, qui sciunt et consentiunt. *L. 145. de R. I.* Hinc vulgo remedium hoccei, cui verum rei pretium fuit cognitum, si ultra vel infra dimidium fuerit laesus, nostra quidem sententia, merito denegant. Mencke in *System. iur. civil. secundum Pandect. libr. 18. Tit. 5. §. 2.* Sed sunt, qui putent, eum, qui necessitate coactus rem vendiderit minoris, nostrae legis auxilio esse adiuvandum. Sic statuit Honmelius *Rhapsod. Observat. 5.* Rationem in eo ponit, quoniam inuitus nemo donasse praesumitur. Hoc etiam perspicuis verbis nostri Imperatores in *l. 10. C. de donat.* significarunt. Quin ex mente Modestini in *l. 18. D. de adimend. vel transfer. legat.* is, qui rei familiaris necessitate premitur, donasse non putatur. Sed haec quidem opinio solidis fundamentis haud nititur. Sola enim necessitas, qua quis compulsus fuit, ut contraheret, consensum non impedit. Nec ea alteri contrahenti, qui omni dolo ac culpa vacat, fraudi esse debet. Si aliam opinionem amplectimur, in magnas difficultates incidimus. Sic enim mirum in modum turbarentur commercia atque emtorum securitati parum prospiceretur.

II.

Sententiae Iureconsultorum Romanorum interdum cum praeceptis iuris naturalis non conspirant.

Est et vile et iucundum inuestigare fontes, ex quibus manarunt iuris ciuillis placita. Fons vero primarius, ex quo plera-



pleraque deriuanda, est ipsa ratio rerumque natura. Optandum, vt Iureconsulti Romani, quorum prudentiam omnes vehementer praedicant, eam tamquam optimam iuris magistram semper fuissent secuti. Sed eosdem interdum ab ea recessisse et opiniones aequitati naturali parum amicas proposuisse, quibusdam exemplis declarabimus. Paulus in *l. 21. §. 5. D. quod met. caus.* haec tradit: *si metu coactus adii hereditatem, puto me heredem effici, quia quamuis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui.* Haec a Stoica philosophia, quae sapientem cogi posse, negabat, sunt repetenda. Sed vti merito Zenonis decreta iam exagitauit Cicero in *orat. pro Muraen. c. 29.*, ita et Pauli sententiam tamquam libertati naturali contrariam repudiandam esse, arbitramur. Qui ad actum suscipiendum vi adigitur, vel metu perterritus agit, is quidem suo arbitrio haud vitur. In iis igitur negotiis, quae liberum voluntatis consensum desiderant, coacta voluntas non sufficit. Confer Cuiacii *Observat. Lib. 16. cap. 40.* Partus nondum editus videtur Vlpiano in *l. 1. §. 1. D. de ventr. inspic.* esse portio mulieris et viscerum. Quin Papinianus in *l. 9. §. 1. D. ad leg. Falcid.* ita tradit: *circa ventrem ancillae nulla temporis admissa distinctio est, nec immerito; quia partus nondum editus, homo non recte fuisse dicitur.* Sed infans vtero materno adhuc inclusus hominum numero, cum iam propria constet substantia, non est eximendus ideoque certis iam fruitur iuribus. Non tamen existimandum, licuisse omnibus embryonem impune abigere. Etenim Bynkershoekius *de iur. occidend. liberos cap. 7. in Opuscul. p. 139. seq.* iam satis probauit, eiusmodi licentiam duntaxat in foetum ex vaga libidine conceptum fuisse permissam. Est hoc insitum mentibus humanis, vt quis mortem atque omnia, quae sanitati sunt nocitura, vehementer fugiat. Sed falsis





laudibus inhumanum facinus, quo quis sibi manus violentas infert, a praeiis scriptoribus fuit celebratum. Ita Seneca *epist.* 70.: *exerce te, ut mortem excipias, et, si ita res suadebit, arcessas. Interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos.* Quin Plinius in *histor. natural. lib. 2. cap. 63.* scribere haud erubescit, terram matrem nostri miseram venena instituisse, ut scilicet facillimo eius haustu, illibato corpore et cum toto sanguine exstingueremur, nullo labore, sitientibus similes. Adde *Libr. 28. c. 2.* vbi putat, ex omnibus bonis, quae homini natura tribuit, nihil tempestiua morte esse melius. Hunc crassum errorem errarunt quoque nonnulli veterum Iureconsultorum. Ita enim Ulpianus in *l. 9. §. 7. D. de pecul.* statuit: *si ipse seruus sese vulneravit, non debet hoc damnum deducere, non magis, quam si se occiderit, vel praecipitauerit: licet enim (etiam) seruis naturaliter in suum corpus saeuire.* Sed, quae ipsa sana vetat ratio, haec ad vniuersos homines sine vilo status discrimine, pertinent. Wincklerus in *Commentar. de mort. voluntar. prohibet. p. 31.* Ulpiani mentem sic interpretatur, praeepto domini vel eiusdem cura, consilium serui, qui se interimere constituit, impediri haud posse. Alia exempla iuris Romani ab aequitate naturali interdum aberrantis proposuit Io. Barbeyracius in *Discours sur le Benefice des Loix. p. 6. seqq.*

III.

*Licet totus oceanus in dominium redigi non queat,
cuius tamen partes dominio subsunt.*

De dominio maris calamis aequae ac gladiis vehementer longo tempore fuit certatum. Libertatem maris in primis Grotius, amore patriae commotus, omni vi ingenii propugnare



pugnare studuit in libello: *mare liberum*, qui Lugdun. Bataur. anno 1633. prodiit. Putauit vero Grotius, mare non esse in commercio nec iuri subiici posse proprio, cum eius vsus sufficiat vniuersis hominibus nec vni genti inde, quod altera mari vtatur, vllum incommodum oboriatur, ius quoque promiscui commercii cunctis populis commune sit. Hanc quidem opinionem acriter defenderunt scriptores Bataui, vt ciuium suorum commodis melius prospicerent. Qui ita sentiunt, mare dominio haud esse obnoxium, sibi persuadent. Huberus *de iur. ciuitat. Lib. 2. Sect. 4. c. 3.* rationes in eo ponit, quod toti humano generi promiscue mare sufficiat, nec capiat opera permanentis industriae et quod ob vastitatem et fluiditatem occupari nequeat. Licet vero hoc argumentum potissimum regulis iuris naturalis ac moribus gentium sit aestimandum, auctoritatis tamen causa, vulgo etiam ad priscos Iureconsultos prouocare solent, qui quidem pariter libertatem maris tueri videntur. Ita enim Marcianus in *l. 2. §. 1. D. de diuis. rer.* tradit: *et quidem naturali iure omnium communia sunt illa, aer, aqua profluens et mare et per hoc litora maris.* Inde vero colligit, neminem prohibendum, quo minus ad litus maris accedat, dummodo a villis, aedificiis et monumentis absteat. *L. 4. eod. Tit.* Eadem repetit *§. 1. I. de diuis. rer.* Sed alia omnia olim proposuit Seldenus in libello: *mare clausum*, cum quo fecerunt plures, vt Burgius *de domin. Genuens. reipubl. in mar. Ligust.* Welwod in *assert. de domin. mar.* Schockius in *Imper. maritim.* atque alii, quos nominatim recensere non attinet. Quodsi argumenta ab vtraque parte prolata exquiramus studiosius, facile intelligimus, magis verbis, quam re ipsa, inter se dissentire aduersarios. In eo enim omnes consentiunt, totum oceanum, quia nimis sit vastus, nec nauibus detineri,



detiniri, vel eiusdem possessio retiniri queat, possessionem sa-
 tis certam, vel dominium stabile haud admittere. Sed, qui
 mare imperio ac dominio subiiciunt, iustis limitibus illud do-
 minium circumscribunt ac ipsi diligenter cauent, ne naturalis
 gentium libertas iniuria turbetur. Vti igitur foret absonum,
 totum mare dominio addicere certarum gentium, ita e contra-
 rio opinionem eorum, qui mare omnis domini expers esse
 statuunt, ipsa satis refutat experientia. Ipse Grotius *de iur.
 bell. et pac. Libr. 2. c. 3. §. 8.* concedit, mare occupari posse
 ab eo, qui terras ad latus vtrumque possideat. Hac de re
 cum mentem suam satis perspicue declarasset, eam statim ita
 restringit, vt odiosa inde nascatur obscuritas. Addit enim:
*dimmodo non ita magna pars maris sit, vt non cum ter-
 ris comparata earum portio videri possit.* Sed, quam
 mensura portionem maris, quam Grotius terrae continenti
 tamquam partem accessoriam tribuit, aestimabimus? Facessant
 eiusmodi subtilitates ingenio quidem exercendo commodae,
 vsui vero vitae nihil profuturae. Neque assentimur iis, qui
 vel mare ideo, quod eius vsus cunctis hominibus sufficiat,
 nec vnquam exhauriatur, respuere dominium, opinentur,
 quam quidem opinionem etiam Schroederus in *Element. iur.
 natur. Part. I. Sect. 2. §. 271.* assumit. Errat quoque Hu-
 berus, dum mare opera permanentis industriae haud capere,
 existimat. Exstruuntur portus, quin castella, quae satis diu du-
 rant. Quis vero, quacso, sibi persuaderi patiatur, fluida pos-
 sessionis ac domini esse expertia, cum vbiuis terrarum etiam
 flumina maiora dominio principum ac populorum sint obno-
 xia? Omnes difficultates, quas in hoc argumento ancipiti de-
 prehendis, tolluntur facile, si discrimen, quod vniuersa histo-
 ria luculenter ostendit, probe obserues. Totus oceanus, cui
 occupando ne vniuersum quidem genus humanum sufficit,
 occu-

occupari per rerum naturam non potest. Partes vero a variis nationibus fuisse apprehensas, eo quidem consilio, ut easdem sibi redderent proprias, iisdem quoque vterentur tamquam propriis, variis exemplis comprobavit, ut alios omittamus, Bynkershoek. in *dissert. de domini. mar. cap. 8. in Opuscul. Tom. I. p. 286. seqq.* Ita vero etiam interpretari debemus Iureconsultorum Romanorum de hac re sententias. Mare, si primaeuam naturam respicis, est res communis, cuius proprietates pertinet ad neminem, vsus ad omnes. Sed ideo veteres non negant, dominium maris occupatione, vel aliis modis, acquiri posse. Ita enim Paulus in *l. 14. D. de iniur. tradit: sane si maris proprium ius ad aliquem pertineat, uti possidetis, interdictum ei competit, si prohibeatur ius suum exercere.* Sed non necesse est, ut hic ad ius civile confugiamus. Sufficit, mare tamquam rem corporalem in possessionem ac dominium redigi posse. Utuntur eo gentes variaque inde percipiunt commoda piscando, nauigando modisque aliis. Hinc saepe partes maris vicinas nauibus tenent ita occupatas, ut alios populos ab earum vsu arceant, vel vsum non aliter concedant, quam si antea vectigalia fuerint praestita. Nostrae quoque opinioni fauent Schurzfleisch. in *dissertat. mar. seruitus* et Vattelius in *iur. gent. Libr. I. c. 23.* Adde Schwarzii *Controuers. iur. natur. et gent. Spec. 3.*

IV.

*Praescriptio, si ab immemoriali discesseris, non est
modus dominii acquirendi naturalis.*

Vtilitatis communis causa apud Romanos introducta fuit vsucapio, ut is, qui rem per certum tempus sine interruptione possederat, dominium eiusdem nancisceretur satis
B tutum



tutum. Neque id naturali aequitati videtur esse contrarium, cum is, cui certum tempus ad persequendum ius domini constitutum est, merito luere debeat poenam negligentiae, si res suas diutius non inquisuerit. L. 1. D. de *usurpat. et usucap.* Olim quidem usucapio a praescriptione multum differabat. Cum vero Iustinianus in *l. vn. C. de usucap. trans- form.* has differentias sustulerit, nos quidem hic usucapionem et praescriptionem in eodem sensu sumimus, ita quidem, ut sit modus domini acquirendi legitimus. Secundum ius quidem civile hac de re amplius nulla remanet dubitatio. Sed, quid secundum ius naturale statuendum sit, inter homines doctos non convenit. Iam olim Petrus Puteanus in *Vol. differtat. iura regis Christianiss. explicantium p. 353.* eam ex iure naturae esse proscibendam, censuit. E contrario Grotius de *iur. bell. et pac. Lib. 2. cap. 4. §. 1.* eandem tamquam commodum controversiis finiendis bellisque futuris cauendis remedium, vel in statu naturali, ac potissimum inter gentes locum habere, contendit eiusque fundamentum in praesumpta derelictione ponit. Opinionem Grotii acriter defendit Io. Werlhofius in *vindic. Grotian. dogm. de praescript. inter liber. gent.* Eandem quoque comprobavit Pufendorf. de *iur. natur. et gent. Lib. 4. c. 12. §. 9.* qui tamen simul monuit, nec ratione naturali, nec uniuersali gentium consensu spatium certum, intra quod possessio bonae fidei in vim domini eualescat, esse definitum. Nec desunt recentiores eiusdem sententiae patroni, inter quos praecipuum locum tenent Leyserus in *Specim. 454. Medit. 1.* et Vattelius in *iur. gent. L. 2. cap. 11.* Sed et Puteani opinio plures reperit defensores, ex quibus hic nominasse sufficit Glaesum in *iur. natur. Lib. 4. cap. 3. §. 187. seqq.* Daricium *Institut. iurisprud. natur. Part. spec. Sect. 2. §. 493.* Achea-



Achenwall. in *iur. natur.* Lib. I. Sect. 2. §. 241. Schroederum in *Element. iur. natur.* P. I. Sect. 2. Tit. 22. §. 544. sqq. et Hoepfnerum in *iur. natur.* §. 110. Caput controuersiae in eo est positum, num is, qui rem suam ab alio possideri sciuerit, eius vero possessioni verbis, vel factis, longo tempore haud repugnauerit, ius rem suam repetendi amiserit? Grotius quidem inde argumentum praesumptae derelictionis colligit. Sed sola praesumptio, nisi alia argumenta accedant, non inuoluit consensum certum. Si vero dominus factis factis manifestis declarauerit, se re sua amplius uti nolle, eam vere dereliquit. Tunc vero possessor eiusdem dominium non tam praescriptione, quam potius occupatione, acquirit. Vbi igitur renunciatio domini prioris est satis aperta, siue eandem verbis perspicuis, siue factis non dubiis significauerit, ibi omnis euanescit dubitandi ratio. Sed plerumque animus prioris domini non est satis manifestus, quin interdum quis metu deterritus, ne sibi odium contrahat, ius suum persequi neglexit. Sed, si quoque concedamus, possessorem a domino per longum tempus haud fuisse interpellatum, quis, quae, temporis spatium praescriptioni absoluendae necessarium, erit definiturus? Hoc cum iure naturali determinatum haud sit, possessoris conditionem semper redderet incertam vberemque perpetuis litibus praeberet occasionem. Inde igitur apparet facile, praescriptionem iure ciuili receptam, quae ad certum temporis spatium est adstricta, in statu mere naturali inter homines locum non habere, sed eam potius ab institutis ciuilibus esse repetendam. Consentit Ravius in *Princip. doctrin. de praescript.* §. 9. vbi quidem recte monet, praescriptionem definitam a legibus naturalibus non quidem esse introductam, iisdem tamen non aduersari. Negare tamen nolimus, vetustam possessionem, quae vulgo praescriptio im-

memo-



memorialis diei solet, eum effectum producere, vt possessor
 numquam interpellatus, ius nanciscatur firmum ideoque ei
 amplius controuersia de iure possessionis vel domini, haud
 fit mouenda. Vt ita statuamus, communis suadet gentium
 utilitas. Si enim quis rem possederit ultra hominum memo-
 riam, ita quidem, vt nesciat, vnde eiusdem origo sit repe-
 tenda, nec quis contradixerit, ipsum tempus est instar iusti
 tituli et inde oritur praesumptio fortissima, ius alterius non
 vtendo, fuisse amissum. Multis argumentis id confirmauit
 Ravius in *Lib. adduct.* §. 173. *segg.* Vfus longaeus pos-
 sessori plenam praestare debet securitatem, nec cui eripienda
 sunt commoda, quibus diutissime, nemine repugnante, fuit
 vsus. Si contrariam opinionem sequeremur, actum foret de
 securitate gentium atque bella perpetua excitarentur.



[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Di Henberg, Diss. 1792/93 ✓

ULB Halle

3

006 009 964







12

1792

11

DISCEPTATIONES IVRIS

QVAS

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII SVMMI
PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO
FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLE-
SIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XII. MARTII A. S. R. CI^ODCCLXXXII.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS

DEFENSVRVS EST

AVGVST. CHRISTIAN. GEORGIVS MVFF

WILLERSTADIENSIS.

SPECIMEN II.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.